

HUGONIS FARSITI

LIBELLUS

DE MIRACULIS B. MARIE VIRGINIS

IN URBE SUESSIONENSI

(D. Michel GERMAIN, *Histoire de Notre-Dame de Soissons*, p. 481, ex ms. Corb.)

INCIPIIT PROLOGUS.

A. ad laudem et honorem beatæ et gloriosæ semperque virginis Mariæ, Genitricis Dei et Domini nostri Jesu Christi, temporibus nostris virtutem mirabilium suorum dignatus est ostendere Deus populo suo, ut credentibus det hæreditatem gentium, et diligentibus se bona quæ promisit Israeli. Qui ergo semel illuminati participes facti Spiritus sancti, gustabant jam virtutes sæculi venturi, gustantes nihilominus bonum Dei verbum, et ideo fastidiose et negligenter agentes hæc præsentia, datum est eis ex munere consolationis, optata visione libere potentiam regni invisibilis, et haurire oculis timo-

A rem et amorem severitatis et misericordiæ divinæ. Hæc est enim fortitudo Dei magna per quam mala coerceat, et diligentibus se bona invisibilia et divitiis gloriæ suæ largiatur : hæc est, inquam, fortitudo Dei magna et potentia regni ejus maxima, virtus invisibilis, virtus arcana in refrenandis malis, quæ velut morbus exuberarent in regno ejus, nisi repressa, et virtus gratiæ et misericordiæ e regione sua opera ineffabiliter exerens, per quam excluso timore congaudet electis superabundanti amore præbente fiduciam : sed hæc alias.

INCIPIUNT MIRACULA S. MARIE SUESSIONENSIS.

I. De ordine initiali miraculorum.

Anno igitur ab Incarnatione Domini 1128, quo judicio Dei et quibus de causis intelligat qui valet, concessa est potestas adversæ virtuti plaga invisibili percutere homines diversæ ætatis et sexus in pago SueSSIONENSI, ita ut semel succensa corpora eorum cum intolerabili cruciatu arderent usque ad exclusionem animæ, nisi sola Dei medicina occurreret. Est autem morbus hic tobiſicus sub extenta liventi cute carnem ab ossibus separans et consumens, et mora temporis augmenta dolorum et ardoris capiens per singula momenta, cogit miseros mori, et tamen desiderantibus mortem tantum remedium denegatur : donec prioribus depastis artibus, celer ignis invadat membra vitalia et, quod mirum est, ignis hic sine calore validus ad consumendum, tanto frigore velut glaciali perfundit miserabiles, ut nullis remediis possint caleſceri. Item quod non minus est mirabile, ex quo divina gratia restinctus fuerit, fugato mortali frigore tantus calor in eisdem partibus ægros pervadit, ut morbus canceri eidem fervori persæpe se societ, nisi medicamentis occurratur. Horror est et infirmantes et verens sanatos intueri, et vestigia mortis evasæ in corporibus eorum et faciebz exterminatis oculis

B pererrare. Quanto autem major miseria, tanto gratiosior misericordia. Factum est ergo perurgentia tanta necessitate, et plaga jam sæviente, et generali periculo imminente, ubi humanum auxilium, nec cogitari poterat, confugium fecerunt in quos ignis jam desæviebat ad piam et propitiã Dei matrem semperque virginem Mariam, neque frustrati sunt tandem a spe sua. Erant autem sex diebus mense Septembrio in ecclesia Beatæ Virginis quæ sita est in urbe SueSSIONICA, et non cessantibus doloribus numeroque languentium per singulos dies accrescente; qui esse quieti non poterant, jugibus et atrocibus vocibus et quales illa mors solita est formare, nullum qui audiret quiescere sinebant. Percussa est civitas recenti metu, et quamvis durissima corda formidine periculi imminenti, et ignis tam vicinos invadentis, et plagæ nec opinantes devastantis concussa sunt. Fit concursus in eandem ecclesiam ab omni populo, procedunt tam de aliis, quam de majori ecclesia congregationes pede nudo, exemplo Ninivitarum armati humilitate, et adjunctis sibi pœnitentiæ copiis, ut congregarentur cum pio et misericorde Deo : congregarentur, inquam, et vincerent. Pius est enim, et non potest diutius sufferre impressiones præcordialis doloris et

immensæ miseriæ, sed statim cedit et vincitur, quia pius est. Hæc sunt enim arma cœlestia quæ protegunt, hæc arma cœlestia quæ docent fortiter stare, et sidenter congregi et cedere. Erecta est igitur area talis pugnæ ecclesiæ beatæ Virginis et matris Domini, ut et ipsam in auxilium sibi in tanta necessitate conducerent. Dato igitur signo a sacerdote ut precibus (jam hora est, inquit) gladio vastanti occurrerent et concurrerent : tunc vero dimittunt habenas lacrymis et clypeo protento fidei, forte ardore insistent, et clamor eorum ascendit ad cœlum, et ecce adest in auxilium imperiosa Regina et Domina angelorum, trahens secum fortia agmina cœlestium spirituum, ad cujus præsentiam formidaret infernus et paverent portæ mortis, et omnis adversa valida vel quælibet potestas plagam inferens subsistere non poterat. Quod ne cui mirum videatur, præcursor ejus adventus tam magnus tremor ecclesiam replevit, ut terræ motum esse factum, aut ecclesiam a fundamentis concussam arbitantes, omnes fugerent et anticipasse ostia et exitus tardum singulis videretur. Reverentiam enim tantæ potentæ elementa et mentes hominum sentire debebant, et a facie divinæ virtutis mortalia corda perculli. Ubi vero nihil adesse periculi senserunt, reversi in se omnem ardorem languentium exstinctum, et omnem dolorem consopitum celerrima suavitate collata inveniunt. Quorum ergo gemitus dolentium intolerabiles modo erant, præ subita liberatione nunc emittunt infinitas voces lætitiæ ad cœlum, et cunctis sibi exsultantibus populis laudes et lacrymæ et gratiarum actiones per reliquum diei non videbantur posse finire : dant signa et tympana vocem suam, concrepantiam gloriam victoriæ Dei et certatim concinentia, concipere novum spiritum, et fremere Christum in cordibus fidelium magis ac magis adhortantur. Quis tunc cessavit a laudibus Christi, et tuum nomen, gloriosa Virgo, quoties replicatam, quoties inclamatum est? Clemens Domina, dictum est millies, pia et propitia et beata Virgo, vociferatum est decies millies.

II. De visis pridie splendoribus.

Atunt a quibusdam ex languentibus pridie hujus beneficii cœlitus dari visas esse claritates copiosas, cœlitus per fenestras ecclesiæ vitreas illapsas, quasi quædam præconia largitionis sequentis.

III. De puella sanata per soccum.

Ausum etiam usus generalis muneris postulandi paucos ante dies præbuerat ejusdem gloriosæ virginis benignitas, puella quadam signata et sanata per soccum ejusdem matris Domini, qui in eadem servatur ecclesiæ : nam Mathildis abbatissa quæ tunc ei loco præerat, pertæsa importunitatem et stridorem assidui clamoris ejus, assumpto beatæ Virginis socco, processit una cum suo comitatu, et mox ubi signata est prædicta puella absque mora fugato dolore, suavitate recepta convaluit, et hinc profusa benignitate beatissima Virgo mater pietatis quotquot veniebant per singulos dies restinguabat et

sanabat, et ad propria fugato dolore redibant. Neque jam erat difficultas in præstanda suavitate. Nocte et die iterum et iterum concrepant tympana et laudes Deo omnipotenti modulata suavitate a degentibus in ecclesiæ creberrime personabant; et qui ad domos suas cœnamque jam concesserant nec lacrymas nec præconia laudem continere poterant. Quid multa? Intra quindecim dies nominatim advocati sunt centum et tres ab hoc igne restincti, et tres puellæ distortis membris quæ advenerant ad sanitatis gratiam restitutæ.

IV. De stellis fugantibus caliginem.

De tenebrosa caligine per noctem eodem tempore, et stellis miræ magnitudinis eandem caliginem ultra ecclesiam persequentibus et fugantibus, plurimi se vidisse asseverant.

V. De illa quæ mordit soccum.

Moris erat ut ægroti, sanitate recepta, per novem dies ibidem manicarent, et in his diebus per singulos de socco circumlato benedicebantur et osculabantur illum. Cum una de his quæ sanitatem acceperant, dum oscula figit, nimio ardore fidei succensa dentibus arripuit; quæ indignatione permota gestatrix et custos ejusdem socci, stomachiando cœpit in illam tanti criminis ream invehi, et culpæ acriter quod hoc ausa fuerit, nec ulterius pro hujusmodi excessu ad eas producturam. Illa vero charitatis conscia, sed criminatricem suam metuens, imo laudabilis tam furiosæ dilectionis conticuit, et de materia exstinctorum omnino victos nos esse fatemur, quia non credo ullum hominem posse referre nisi hoc tantum, quia fama tam copiosæ gratiæ excitabat omnes usque ad littora Oceani, et ripas Rheni, et quotquot veniebant sanabantur.

VI. Quanta devotio populi.

De populi vero devotione et de concursu et reverentia innumerabili virorum ac mulierum, divitum et pauperum, senum, juvenum, puerorum, quis auferet vel inchoare narrationem? Quis teneras et delicatas personas non solum virorum, sed etiam adolescentularum, duratis pedibus, in patientia frigoris et viarum, superato rigore hiemali et asperitate itineris posset referre, quæ servatam mundo teneram carnem secundam frigori et cruentandam idem sacrificium Deo devotum obtulerunt? Quid erat, Domine, in cordibus earum, quantus ardor, quanta charitas, quanta rabies dilectionis usæ? Quis lacrymas et preces et convulsos ab intimo præcordiorum gemitus, et pœnitentiæ rugitus novit, nisi tu solus, Domine, qui eos per Spiritum sanctum tuum novisti, et misericorditer suscepisti? Corpora hæc qui voluit admirentur, ut vere justum est, miracula; nos vero gratiam tuam magis admiramur, Domine, in peccatoribus tuo pavore conteritis, et ad devotam pœnitentiam conversis, et de monumento quasi suscitatis, et ob memoriam gratiæ non ingratis lacrymis et humilitate in tuo amore ferventibus. Hæc sunt miracula nostra quæ præci-

pue cordi sunt nobis, pro his glorificamus te, Domine A Jesu, laudamus et adoramus, quia iste totus fructus qui permanet in vitam æternam, pietas et humilitas quæ in te fervescunt.

VII. De femina quæ nasum recuperavit.

Unum refero miraculum, cujus simile utrum lægerim auditum aut visum in præteritis sæculis, nescio. Mulier quædam nomine Gundrada virum habens nomine Theodoricum, commanens in riparia ultra Axonam fluvium quæ præterlabitur urbem Suessionicam, de villa quæ dicitur Audiguncurtis (Oignoncourt) inter cæteros quorum membra ignis ille judicialis depascebat, venerat ad ecclesiam Beatæ et gloriosæ semperque Virginis Mariæ Genitricis Dei et Domini nostri Jesu Christi, opem fl. B gitans medicinalis gratiæ per eandem matrem misericordiæ. Invaserat enim idem ignis faciem et ora prædictæ mulieris, et jam cum horrore intuentium quidquid carnulentæ cartilaginis in naso ejus prominebat, et labium superius quod naso subjacet usque ad maxillares et gengivas molares erat, ignis tabificus depopulans turpaverat. Quid plura? Misericordiam postulavit et obtinuit, et exstinctus est a facie ejus vastator ignis: sed quia generale erat et publicum quasi minus miraculum computatur, nam majora sequuntur et virtus inusitata in eadem persona celebrata. Interim licet beneficio gratiæ caruerit tanto dolore, non tamen evasit visionis honorem, misericordiam et judicium tuum circumferens, Domine. C Omni ergo occursanti jam molesta et odiosa fiebat et coacta est redire ad suos, ut gratia consanguinitatis temperaret importabilem ejus conversationem, sed et hoc modo parum profecit, omnibus erat gravis ad videndum. Compulsa est ergo præter oculos totam faciem madenti panniculo velare, nec tali adminiculo vix aliquid profecit, quo excusare odium et nauseam vel beneficio humanitatis et consanguinitatis valeret. Quid faceret, quo se conferret, a quorum conversatione non abjiceretur, quæ suorum etiam domesticorum odio, maledictis jam respergebatur? Sic ergo omni necessitate circumclusa, omni humana ope desperata, utilius subit consilium et copiosius occurrit auxilium, et jam frigescentem fidem revocans, culpam se ipsam velut immemor prioris beneficii copiosam in misericordia D matrem misericordiæ, id est Christi genitricem Mariam, per oblivionem velut posthabuerit. Rediviva igitur fide et spe velut armis accincta, in crastino iterum parat proficisci ad memoriam beatæ et gloriosæ Virginis quæ est in urbe Suessionica. Confecta itaque pro sua paupertate candela quam offerret iterum est dormitum. Eadem nocte maturius evigilans, et sollicita quam citius elucesceret, memor sponsionis suæ ac propositi, nimium prolixas noctes, utpote ante æquinoctium vernale queritur. Tunc sensit laxatum fluitare panniculum quem oris suo obdiderat, quem dum restringere sursumque reducere nititur et parum profecit: coacta est cir-

cumjacentium implorare auxilium, dumque morantur somno vel frigore tardi, illa nihilominus querit lucernam accendi et auxilium sibi ferri. Cum interim sensit carnem sub digitis et panniculo pressam indolescere, et nesciebat quia caro est nasi et labii reformati; sed dum sæpius reducit pannum, sæpiusque per idem attrahat creaturam noviter plasmatam: *Deus, inquit, et sancta Maria, adjuva, Deus, sancta Maria adjuva!* Ad quam vocem turbati et excitati, maturius inferunt lumen; tunc vero novum plasma pignusque redivivæ resurrectionis in naso et in labio ejus deformi stupent celebratum, et sit gaudium quasi reduce vita ex mortuis. In crastino candelam pro gratiarum actione oblatura, proficiscitur ad urbem quam in aliis votis destinaverat. Quid mirum si tunc recens recognoscentibus se fecit miraculum, quæ in tota vita sua circumferens tantam Dei misericordiam, testimonium divinæ gratiæ publice exhibuit? Vidimus eam et nos, et in restauratione beneficii in nullo prorsus detrimentum patiebatur, sed similis erat carni reliquæ caro recens, nisi quia diligenter intuentibus lucidior videbatur. Ardor igitur fervensque fides populorum non erubescere usum et ora ejus osculari, quasi quod modo recenter manibus ipsius Dei esset factum.

VIII. De fabro perfido sed correpto.

Faber ferrarius de pago Laudunensi conventionem fuerat annuam ut ibidem Suessione remanens utensilia materonum reficeret, et quod sui esset officii, et quod juberetur toto anno expleret; postea vero poenitentia ductus, circumventum in pretii pactione se æstimans, proposita occasione domus suæ et familiæ visendæ et disponendæ, non tamen tacita, quod eum angebat querela de pretio, domum regreditur, quasi statim reversurus, et leve aut grave quod pepigerat prosecuturus; et modo hoc licentiam obtinuisse dicitur, quia, cum non haberet vadem quem pro se daret, dedit dominam sanctam Mariam vadem suæ regressionis citissimæ et pactionis suæ perficiendæ: sic ergo vade adscreditato dimissus est. Tum vero qualem reliquerat pro se vadem parum memor, ultra exspectatum moratus cum ei placuit reversus est, utpote qui renuntiaturus se nolle pro tali pretio, id est sexaginta solidorum toto anno servire. Tum vero is qui præerat operi, cum quo et pactionem fecerat, arguens eum mendacii et admonens eum poenæ quæ posset eum juste consequi, quia non erat mentitus hominibus, sed Deo et sanctæ Mariæ: per quindecim dies se ibidem gratis operari promisit, quasi hac exhibitione servitii merito liber esse deberet ab annuali servitio quod prosequi volebat. His ergo quindecim diebus expletis, recedebat reclamante operis præposito, et succensente ei vota fidei et pactionis violatæ, et vadis quam dederat admonente. Faber tamen non minus in proposito permanens recedebat. Cum ergo transisset villam quæ dicitur

Crovicus (*Crouy*), quæ villa ultra Sanctum Medardum est, et jam montem ascendens dum altitudinem nititur ejus apprehendere; sic inutilis manibus et pedibus cœpit fieri et membris contrahi, ut omni facultate itineris ad domum reducendis negata, compulsus sit cum lacrymis repetere urbem Suessionicam, et memoriam beatæ Mariæ Virginis quam spem mendax in vadem reliquerat, et opem ejus flagitare. Nam pertinax et perfidus non semel tentaverat, quasi torporem casualem et accidentalem a se excutere, et quo amplius nititur, eo amplius impeditur, donec sola vexatio intellectum dedit auditum, quia regredi ad monasterium facilius poterat, ad suam vero domum progredi omnis facultas negabatur. Tandem vinculis perfidiæ suæ ligatus rediens, vel potius a vindice suæ perfidiæ potestate reductus ad memoriam beatæ Dei genitricis Mariæ, dum ejus cum lacrymis altare amplectitur, recognitus ab operis præposito: «Tunc es, inquit, faber noster desertus et mendax?» — «Ego ille sum, inquit, infelix et miser: et reus beatæ Virginis, quæ modo a me justas pœnas exigit, quas merito in ipsæntiarum cornitis sustineo. Sic enim et sic fecit mihi Deus: nunc vero promittit Deo et beatæ Virgini, et paratus sum ei toto animo aut omni vita mea servire, tantum ut respicere me dignetur propitiâ et misericors Domina, et hujus tanti peccatoris misereatur.» Dum hæc eum lacrymis et rugitu amplexus altare obsecrat, liberatus ab hæc nervorum contractione, stabilitatem in servitio tenens, secundo jam non est ausus mentiri.

IX. De puero in visione rapto.

Inter initia benedictionis hujus cœlitis effusæ, quidam puer undennis, pecorum custos, ardens pedibus a matre sua advectus est, paucos dies ibi fecit, et remedio doloris accepto, ad domum re-
 vectus est. Erat autem de Vallibus (*Vaux*), quæ villa est ultra Axonam inferius juxta ripariam ejusdem fluvii; sed dum nutu divino puer idem non immemor tanti beneficii flagitaret desiderio visendæ domus beatæ Virginis, et super hoc quotidie molestus matrem perurgeret, ut Suessionem quasi pro gratiarum actione redire deberent; illa penitus non acquiescente, quia sano, inquit copia non datur, saltem necessitas redivivæ infirmitatis compellat: quod satis desideranti negatur; audiat me qui intuetur corda et desideria peccatorum. Ad hanc vocem statim cœpit prioribus torquentis vexari, igne tabifico jam depasente carnes ejus. Expavit mater et, posthabita omnium cura, ad urbem domunque beatæ Virginis pariter regrediuntur. Ex pristina igitur passione et præsentî renovatione jam artus ejus inutilis efficiebantur, et tamen secundo accepit gratiam liberationis et suaves habuit somnos, et ad ingressum processions matris ecclesiæ, dum frequens turba comitatur, a quieto excussus ob gratiarum actionem rumpit clamoribus æthara, et in se celebrata denuo beneficia testatur, narrat, et omnibus se raptum fuisse ante

A Deum, et Dominam nostram Dei Genitricem pro populo supplicantiem vidisse, ut dignaretur Deum hunc morbum a populo evertere et hæc scintillam quæ acciderat auferre, et ad hoc a filio suo responsum benigne accepisse: *Mater, tu es maris stella, fiat omnis voluntas tua.* Dum item queritur eadem virgo beata super domo sua quæ vilis et abjecta præ cæteris erat; item a Filio suo audivit, quod de trans mare et de trans Rhenum pecuniam faceret afferri, de qua domus ejus ædificaretur, et in omnium oculis respicientium claritate magna et gloria illustraret eam; populo etiam Suessionensi mala evenire ex parte Dei prædixit, quia suæ Genitricis ecclesiam non reficeret. Et quidem multo ex eadem urbe ignis invasit, quæ et qualia restent nescimus. Hujus autem visionis tam in claritate qua excolitur ab omni ætate et sexu et conditione, quam in copia munerum et oblationum, tot sunt testes, quot hodie superstites qui *videre volunt.* Nam puer se post paulo meriturum esse testatus est, et ita evenit, neque mensem supervixit, mirum autem valde et de hoc puero erat, quod ab initio mundi omnem historiam veterem retexens, totam narrationem suam cursim rithmice digerebat. De nova etiam lege textum Evangelii et actus Domini sic ordine recensebat, tanquam omnia in libro legeret et dictata ab aliis pronuntiaret. Super sanctitate etiam et virginitate Joseph qui fuit custos et sponsus sacræ Virginis, inter cætera ait: *Qui tenet sceptrum florentis virgæ, custos erat gloriose puellæ.* Et mirum ubi legimus Joseph florem virginitatis tenuisse, per quam etiam beatæ Mariæ virginitas assertionem acciperet. Renovantur et hic, dona antiqua sancti Spiritus, qui pastorem puerum implens citharistam facit et prophetam. Dum hæc ergo tam copiose narraret, sicut fluvius torrens quem Spiritus Domini cogit, clausis oculis tanquam lucem transitoriam exosus; laicis et illitteratis vix dignabatur facere verbum, tanquam ignorantiam eorum pertæsus, qui magna et profunda intus audiebat et lumen non hujus sæculi intuebatur. Qui autem linguas infantium facit disertas, et infirma mundi eligit ut fortia quæque confundat, etiam hunc testem suæ glorificationis facere dignatus est. Constituti igitur tempore testimonii expleto, ut diximus, post paulo decessit; cuius etiam faciem tanta gratia perfuderat ut candore et claritate vultus angelicum nescio quid et divinum assignaret.

X. De muto per visionem sanato.

Tres muti ad eandem memoriam Beatæ Mariæ Virginis advenerant, qui dum nocte sopiti in ecclesia jacerent, unus eorum visione turbatus somno excutitur, et accurrens ad altare lingua insolita plenissime cœpit fari et gratias agere beatæ virgini, et ordinem suæ liberationis suæ edicere. Scilicet dum gravi somno premitur, duo columbæ cœperunt, ut sibi videbatur, aures illius scilicet subvellere, ad quem terroris impulsus

excitatus, dona quæ dormiens et inscius gaudens acceperat et vigilans retestabatur. Hoc signo hæresis bruta retunditur, quæ in parvula ætate nihil operari gratiam Spiritus sancti eo quod nec dum intelligant baptismum quod accipiunt, asserere nititur. Ecce in hoc dormiente et nesciente operata est; alii duo muti recesserunt non reserato linguæ officio. Cur hoc acciderit melius novit ille qui solum Naaman Syrum dicit esse curatum, cum multi leprosi essent in Israel sub Elisen propheta.

XI. *Item de alio muto et surdo per visionem curato.*

Vidimus et alium de pago Laudunensi desuper fluviolum Seram nomine qui surdus et mutus ab infantia exstitit; Christianus nomen erat huic, ætate fere annorum decem et octo. Hic et inter cæteros venit ad suffragia beatæ et gloriosæ Dei genitricis Mariæ, et observabat se in ecclesia admistus confertissimis populorum turbis sola mente et nutibus ad Deum clamans, nam lingua non poterat. Præsens ergo semper aderat præstolans tempus et horam quando respiceret eum gratia divina, et dum ab auditis a sacrario qui tantam populi importunitatem ferre non poterant pelleretur, subsistens et exspectans invitus recedebat, cum ecce fidem ejus indeficientem quamvis aliquo probationis tempore protractam respexit Deus, et visæ sunt ei duæ personæ coronatæ ad modum sponsi et sponsæ de supernis descendere, et lux fulgurea totam ecclesiam implevit. Erat autem species gloriosæ Virginis tam in vestimentis quam in facie candore admirabili, quales cœlestes et lucis æternæ incolas dignum est apparere. Tunc vero dulci manu sua fauces ægroti pertractans et ora vinculum linguæ et aurium resolvit, virtutem imperiosæ dominæ fluxu cruoris attestante qui per nares et aures et ora prosilivit. Tanto igitur beneficio accepto tacitus gaudens, silenter abcessit, et reversus ad suos se donum loquendi accepisse testatus est balbutiens, utpote qui fari modo addiscebatur. Cito percubuit apud suos cœvos et compatriotas Christiano Deum et sanctam Mariam fecisse misericordiam. Sacerdos ejusdem villæ quæ Mortaria dicitur, famæ præcurrenti nullo modo credens, Christianum negabat posse loqui vel audire, donec ad suam præsentiam deductus est. Post hæc pœnitentia ductus idem sacerdos, culpans infidelitatem suam, timore concussus adiit memoriam beatæ Virginis, et prostratus ante altare et adhærens pavimento, tantum doloris et lacrymarum effudit redintegrans gemitus, quod et hoc adjiciens suis peccatis ausus fuit de potentia Domini et matris ejus dubitare, ut intuentibus daretur suspicari ipsum eundem vel igne torreri, vel quolibet passionis genere vexari; donec percontantibus omnia per ordinem indicavit, et se die constituta eundem Christianum adducturum spondidit, quod et factum est. Et ipso eodem Christiano pro se et de se loquente, omnia facta sunt testimonium perhibentibus vicinis qui aderant, quoniam surdus et mutus ab infantia exstitit,

A testimonium perhibente gratiæ Dei ipso effectu rei, quia plane audiebat et loquebatur. Tunc vero laudes canuntur Deo altissimo, tunc clangor tympanorum et æra tubarum stridores imitantia; tunc preces et lacrymæ et gratiarum actio ab omni ætate et sexu et conditione et gloria Dei in commune prædicatur.

XII. *De cujusdam rustici temeritate vindicata.*

Servus cujusdam militis Suessionensis operi rusticano deputatus aliquoties vacuus festis diebus una cum suis sodalibus de villa ad memoriam beatæ Dei Genitricis Mariæ venire consueverat. Sed aliis pro suo posse oblationes facientibus, et soccum beatæ Mariæ Virginis honorantibus, ille nihil offerebat. Cum vice quadam illis regredientibus, et inter alia Dei magnifica de socco prædicto sermonem habentibus, Boso (hoc enim nomine vocabatur servus ille), subiecit: « Vere vos stultj estis, si ipsum soccum sanctæ Mariæ putatis; jam certe diu est quod putrisse potuit. » Vix bene verba finierat, cum ecce os blasphemum distorquetur usque versus aurem cum tanta violentia et tormento, ut præ angustia oculi ejus pene elidi ex capite viderentur et angustiis perurgentibus tota facie inversa et in tumorem conversa, et ab humano usu exterminata, horrorem intuentibus excutens fatigato anhelitu, utpote tortori suo traditus erat; vix in hæc verba prorupit, ut ad ecclesiam Sanctæ Dei Genitricis reduceretur. Et sic factum est. Et projectus ante altare spectaculum suæ vesaniæ et vindictariæ potestatis cui traditus erat, aliquandiu exhibuit. Arctabatur autem corpore in tumorem verso; spiritus in visceribus ejus, fumifero anhelitu vicinas auras polluebat. Vox ejus ut rugitus, et lingua et ore negante officium. Tunc pietate permoti Mathildis abbatissa et cæteri qui aderant, applicuerunt eum ad altare. Quo amplexato signatur reliquiis et socco, et cœpit meliorari et ab urgente tumore relaxari. Quid plura? Et facies et corpus ejus integerrimæ restitutum est sanitati. Hujus ille Boso benefici non immemor, utpote qui de mortis faucibus erat erutus, dominum proprium suum ut absolveret eum a suo famulatu rogavit et impetravit. Jam enim deinceps volebat homini servire, sed ei se dedere per quam obtinuit sanitatem et ecclesiæ servitio se subiecit.

XIII. *De muliere cæca illuminata.*

Femina quædam oculum dolebat et celidonium seu quaslibet herbas adhibuit ne doleat, et non solum nil profecit, sed herbarum violentia oculum in tumorem versum de sede orbiculi et toto capite ejecit, folliculo membranæ insutum tanquam vesicula quædam dependebat ei in faciem et in ora, unde et omnem videndi spem amiserat. Ab humana igitur ope omnino destituta, collectis fidei et spei virtutibus ad divinum se contulit auxilium, et una cum suis necessariis ecclesiam præfatæ Dei genitricis Mariæ adiit, et cum cæteris opem ejus flagrantibus ibidem manicabat. Quadam igitur nocte

in qua et hæc femina visum recepit, puer quidam septennis contractus pedibus ibidem a matre sua observabatur. Erat autem et frequens populus ibi vigilans, alii ob devotionem, alii cum suis ægrotantibus deservirent. Mater itaque prædicti pueri dum et vigiliis et mœrore confecta obdormisset, subito puer assurgit rectus et sanus, et ad altare cœpit procedere. Tum ergo vociferato populo circumstantis attollitur, tum nomen beatæ Virginis millies replicatur, ita ut clamore hominum et clangore tympanorum fragiles adhuc parietes ecclesiæ a fundamentis everti viderentur. Jesu bone, nunquid non præsenſeras huic spectaculo, quale tu ipse plurimum diligis, cum ardens fides et furor diligentium te certatim rapiabant te, et sacrificium contriti spiritus libamine dulcium lacrymarum condiebatur. His vocibus mater excussa a somno, exclusam se a filio et a comprimente se populo lætis et turbatis clamoribus congeminat. Has igitur voces lætitiæ emitti ad cœlum non læta audiebat femina quæ oculum amissum dolebat; unde et in hæc verba prorupit: O gloriosa et pia Domina, nunc alii lætantur, et ecclesia tua laudibus plena resultat; mihi vero miseræ negatum est participem tanti esse gaudii. Dum hæc et alia quæ dictabat ejus mœstitia prosequitur subito pendentem in facie oculum totum se arbitrata perdidisse, conclamat ad circumstantes: Pro Deo, inquit, huc citius lumen convertite, quia modo hic in pulverem mihi decurrit oculus. Visum enim sibi fuerat quemdam astitisse et digitum suum ingerendo folliculum qui erat in modum vesiculæ crepuisse. Illato itaque lumine membranam diruptam inveniunt, et rivulum saniei et putredinis conceptæ per ora et faciem usque in terram defluxisse, et læta aspergine pulverem maduisse; oculum vero ejus clarum et lucidum orbiculo suo integerrimæ insedissee. Tum vero inclamant ei, et adhuc non credenti ingeminant, et ingerunt ei per Deum et beatam virginem sanitatem et oculum eam recepisse. Quo illa comperto et effectu comprobato, lætitia perfunditur, et iteratis laudibus, ecclesia impletur.

XIV. De surdo et muto sanato.

Quidam surdus et mutus de Atrebatensi pago, intelligens quosdam ex illis regionibus orationis gratia Suessionem ad suffragia beatæ et gloriosæ Dei Genitricis Mariæ venire, et ipse admistus eorum collegio ex quotidiano comitatu jam omnibus notus erat. Veniens ergo intravit cum ingredientibus in templum, et brevi demoratus ibidem, significavit quibusdam e sociis qui circum illum aderant se auditum recepisse, fandi facultate adhuc usque denegata. Congratulantibus sociis facta oblatione ex constituto regredi cœperunt, et ipse mutus cum eis. Intererant illi comitatui clerici Atrebatensis, qui et una venerant; sed dum Suessione essent, ad alia videnda et audienda intenti, de initio per auditum in muto miraculo nec dum quidquam rescierant. Jam vero itinere positi, narranti-

bus sociis et illo significante de auditu recepto, tunc admirantes et gaudentes culpant semetipsos, quod tacito hoc miraculo nullas gratiarum laudes Deo egissent. Concite igitur, quia equis insidebant, revertuntur, reducentes secum illum in quo auditus celebratum erat miraculum, et narrant quæ facta fuerant, et exhibentes hominem acute audientem, sed nondum loquentem, et gratias agunt Deo et beatæ Virgini, cujus meritis hæc beneficia præstabantur. Tunc vero bonus Dominus et dulcis, et beata mater misericordiæ non sustinuerunt ultra inanem et sterilem remanere fidem et devotionem eorum quos non piguit ab itinere cœpto retardare, ut non ingrati officio pietatis deservirent. Dum ergo morantur et retardant, et dum mente ad Deum et ad matrem pietatis respectant, homine stante in medio, subito solutum est vinculum linguæ ejus et loquebatur recte. Hoc viso clerici illi et fidei suæ fructu jam fruentes, convalescunt certatim laudes ad cœlum tollere, et concrepantibus signis et choro ancillarum Dei *Te Deum laudamus*, in sublimem tollentibus, clamor devotæ multitudinis se miscuit et confusæ voces, tamen Dei laudes in commune consonantes.

XV. De muto puero Coloniensi sanato.

Sed et quidam puer natione Coloniensis nutriebatur in pago Belvacensi apud castrum Claramontem nomine. Mater enim sua pauperula adhuc infantem de partibus Rheni secum adduxerat, sed munere loquendi a Deo non concesso, ab ineunte ætate jam duodenis mutus evaserat. Visum est patronis pueri (puero nomen *Vasselinus* erat), de quorum eleemosyna jam per quinque annos vel amplius vivebatur, ut Suessionem ad memoriam sanctæ Dei Genitricis Mariæ secum deberent eum adducere; et ita factum est. Nocte igitur illa quæ est Purificationis beatæ Virginis, quamvis sopore gravialis est puerorum mergeretur, tamen secum interesse vigiliis compellunt, nam et tota vigilantibus plena erat ecclesia. Jam ergo decurso ex parte Matutinorum officio, dum illud responsorium inchoatur: *Videte miraculum matris Domini*, puer ille de subito somnii pavore turbatur: visum enim sibi fuerat columbam caput ejus circumvolitare, ac deinde labia ejus et linguam quasi irascendo et comminando vellicare. Hac ergo visione a facie iræ columbæ permotus, subtilissima et acuta voce, quæ magis videbatur Spiritus esse quam hominis, ita ut et puellares concentus et strepitum totius frequentæ evinceret, exclamat: *Sancta Maria, Sancta Maria*. Quis non expavit et admiratus est illam vocem angelicam recensque creatam, et inter omnes diversæ ætatis, diversi sexus omnino se discriminantem, et acutos et super acutos virginum modos evincen-tem? Statim illi qui propinquius aderant, et causa Dei observabant eum patroni ejus, primi exclamabant, exclamat omnis populus, conclamat et languentium multitudo simile suffragium sibi deposcentium, fragor totius ecclesiæ voxque tubarum

modo æra concrepantia, et ardor diligentium te Deus perrumpit ipsum cœlum, ducitur ad altare cum gaudio exsultantis Ecclesiæ. Domine Jesu, quis tunc a lacrymis temperavit? Quorum pectora vel saxea non scindebantur, cum videbant te iterum inter homines deambulantem? Hæc sunt festa solemnia qualia mandasti populo tuo exhiberi tibi, hi dies celebres in quibus veri adoratores adorant Patrem in spiritu et veritate. Gaudet ergo omnis Ecclesia pariterque vota exhibet pro his quoque qui sanandi erant; triumphant patroni pueri, quorum fides et opera elucebant, et adducunt eum ad abbatissam, et alios quibus pridie notus erat.

XVI. *De muliere a dæmonio liberata.*

Cum ecce necdum super hoc laudibus finitis mulier quædam pervasa a dæmone dum vix a partu convaluerat, quæ in eadem ecclesia Beatæ Virginis immanissime furens jacuerat jam per aliquot dies; ita ut præ assidua vexatione et infinitis clamoribus jam ad omnium notitiam et importunitatem adduceretur. Tali ergo operante Dei gratia et cooperante beata matre misericordiæ a dæmonio liberatur procedit ad altare non egens opis alienæ, culpans se et ream confitens quod per ignorantiam ore furioso contra Deum et matrem ejus gloriosam multa et dixerat et fecerat, congaudentibus amicis et pie collacrymantibus. Tunc ergo fidei viribus et charitatis necdum tepescentibus, iterata divinæ gratiæ benedictio effusa dat perseverantiam gaudiorum et totius sacræ noctis excubiis fit quasi una C respublica ex conventis angelis et hominibus.

XVII. *De furioso divite Doacensi.*

Præterea ex castro quod dicitur Doacus (Douai) versus pagum Atrebatensem, quidam furiosus nomine Guariius adductus est vinculis a tergo manibus, colla ferro et catena immani alligatus, quem vix quinque homines trahere poterant, quanquam et flagellis et verberibus eum compellerent; erat enim plenus viribus tam corporis quam robustæ ætatis et dives homo, unde et hoc miraculum sui notitia celari non patitur. Quacunquero occasione diabolus potestatem in eum accepisset, sive ex ira, sive ex dolore pecuniæ sibi fraudatæ, ut quidam aiunt, non satis compertum habuimus; D insania vero ejus, et quæ postea per gratiam Dei consecuta est sanitas celeberrima est habita, sustinuit eum Deus furem in ecclesia per aliquot dies ad omnium spectaculum jacere, sive ut post receptam sanitatem pudore confundere in, sive ut traditus Satanæ pro peccatis suis pœnas daret, quatenus dum ad votum suum adversarius eum torqueret, habita satisfactione facilius eum amitteret, sive ut dum amaritudo inamabilis visionis in oculis omnium protenditur, dulcior esset et notior gratia liberationis prorogata; Deus celebrius gloriificatur. Hic ergo catena majoribus ecclesiæ scamnis affixus, et funibus, ut dictum est, alligatus; tamen et scamna persæpe trahebat et custodes

A suos pene evincebat. Sed quid opus est insaniam verborum ejus et ferociam actuum persequi? Postquam satis visum est tibi, Domine Jesu, et tuæ sanctæ Matri, cohibita est ab eo adversaria potestas, et redditus ei sensus suus, et levavit oculos suos ad cœlum et glorificavit viventem in sæcula sæculorum, qui potens est superbos humiliare, et arrogantes a suo fastu deducere, et eosdem statuere contra faciem suam. Procedens ergo et hic ad altare, ut mos erat, quam devote et quam humiliter etiam imaginem suæ liberationis quibus votis et supplicationibus potuit honorans, si gaudium fecerit amicis suis et his qui ibi aderant, et quos domi reliquerat non est opus dicere. Exinde ut homo compositæ et sanæ mentis se habens et prudenter se gerens, ascenso equo, cum his qui eum reduxerant ad patriam regreditur, et compos animi factus semel et perfecte redditus est uxori, et familiæ et amicis dolentibus et lugentibus illum: et non solum SueSSIONE ubi primum lux orta est ei lætitiæ, sed et in partibus illis redditæ sunt Deo laudes et cum gaudio tanto celebrata est ejus sanitas, quasi reduce vita ex mortuis, ob amorem et gloriam Dei et reverentiam et honorem beatæ et gloriosæ Dei et Domini nostri Genitricis ac perpetuæ virginis Mariæ. XVIII. *De oberrantibus reductis ad viam per beatam Mariam.*

Ob hæc et alia celeberrima Dei Christi et Virginis matris vulgante fama, miracula concursus et occursus diversæ ætatis utriusque sexus, diversæ conditionis longe lateque ad urbem Suessionicam ob amorem et pietatem Virginis sanctæ fiebat. Tunc et excitæ homines et feminæ de montibus in Hainnaco, usque ad viginti quinque numero, carpebant iter, quod ducit ad Sanctum Quintinum. Dumque propinqua accelerant jam nocte, viam timor latronum cogit eos festinare, quia regio illa raptoribus exposita est; devenerunt in quamdam silvam ubi jam ex præsentia densissimæ noctis et ignorantia viarum iter rectum perdididerunt, et oberrantes non solum hospitium quod maturius apprehendere se sperabant, sed nec certitudinem cujuslibet aut status aut progressus tenerunt. Erant ergo consternati omnes, nimirum quia ex longa diæta usque in, noctem extensa fatigati, et plurimum feminæ, et ex fatigatione et tædio contrebantur spiritus eorum in semetipsis. In aliquo igitur fruticeto lassissimi conederant, aliis omnia timentibus quæ poterant accidere, et aliis fortioribus et vegetioribus huc illucque iter amissum perlustrantibus, cum ecce haud longe ab eo quo substiterant loco, vident candorem claritatis immensæ, et ob noctis caliginem multo amplius notabilem, plurimum tamen blandimenti magis quam horroris pollicentem. Et in medio splendoris illius intuentur quasi imaginem femineam speciei Virginis, cujus nivei candor indumenti, et fulgor divinæ et cœlestis faciei discriminatæ et obumbratæ suo intuitu claritatem, quæ officioso obsequio ambiebat eam habere videbatur.

Tam ergo certa et tam aperta hæc visio erat, ut in-
tuentes et hæc efficacissima mente tenerent, et
gestum, et habitum, et lineamina manicarum aura
agente ventilari memoriter narrarent. Viderunt om-
nes et præ admiratione omnes exclamaverunt.
Et omnium sententia una fuit illic pertendere ubi
Deus vocabat eos. Consurgunt et bona spe meliores
effecti, qui melius poterat sequentem non expecta-
bat. Qui amore maturius comprehendendæ visionis
per aspera et sentibus licet horrentia loca iter accel-
eraverunt, quasi eodem momento quo et certum lo-
cum ibidem positæ claritatis tenuerant. Sed tamen
callem publicum certissime apprehenderunt, et con-
globati in unum viæ quam amiserant se redditos
gratulabantur. Hanc igitur ambulantes, et ad do-
mum eremitarum quæ in vicino erat viæ juncta su-
pervenientes, responsum accipiunt hoc esse publi-
cum iter et certissimum quod ducit ad Sanctam
Quintium. Hoc ergo miraculum testium tot numero
astruitur, quot personæ ibi aderant non minus a vi-
ginti quinque, ut diximus, qui omnes ad memo-
riam beatæ Virginis et gloriosæ cum lætitia veni-
entes explicito quod voverant, cum gaudio redie-
runt ad propria. Non minus stupendum quod se-
quitur.

XIX. De femina quæ peperit lapides.

Apud villam quæ dicitur Kala (*Chelle*) in territo-
rio Suessionensi, quæ et ipsa possessio matris eccle-
siæ Beatorum martyrum Gervasii et Protasii mul-
lier quardam parturiebat, et ob partus difficultatem
cepit periclitari. Tribus igitur hebdomadibus con-
tinuis doloribus attenuata, morti valde proxima
erat. Persuasa itaque a convicinis mulieribus nudis
pedibus adituram ecclesiam Beatæ et gloriosæ Dei
Genitricis Mariæ, si ab instanti mortis periculo
liberaretur, vovit et liberata est, sed ordine stu-
pendo.

Primum emisit ex utero suo tres lapides. Pri-
mus eorum magnitudine anserini ovi, secundus fere
ovi gallinæ, tertius non minor Gallica nuce erat.
His ergo lapidibus effusis, statim sequitur eos par-
tus infantis, qui et gratiam baptismatis accepit, et
paucos dies supervixit. Quamprimum ergo potuit
ex quo ab hac infirmitate convaluit, nudis pedibus
et in laneis, ut promiserat, discriminis sui testes et
assertores divini operis lapides secum portans,
convicinis comitantibus secum mulieribus quæ
universæ rei gestæ adfuerant, ecclesiam Dominiæ
nostræ, imo totius generis humani, et Reginæ angelo-
rum domum expetiit, et candelam cujus licinum et
lineamentum ad mensuram corporis sui, dum adhuc
parturiendo periclitaretur, produxerat, et servatum
etiam tunc habebat, ad altare obtulit, ipsa sui pe-
riculi et liberationis per beatam virginem datæ ve-
rissima narratrix, ut hi, inquit, lapides (lapidesque
protulit) me tacente testificantur. Data ergo Deo al-
tissimo laude, ut moris erat, supervidentibus mi-
raculis perforati sunt lapides illi et suspensi, et

A per aliquod spatium temporis evidentem hujus facti
memoriam obtulerunt.

XX. De paralytico sanato.

Quidam paralyticus in porticu ejusdem ecclesie
plurimo tempore jacuit, qui dissolutis viribus te-
lius corporis etiam loquendi facultatem amiserat.
Huic omnis hora mala erat, sed magis hiemis rige-
re duplicato frigore ægritudinis et temporis torque-
batur, dum rigescentibus membris ob violentiam
morbi punctiones velut lancearum ossa et medullas
sibi perforare videbantur. Tunc vero miserabilis
cepit factare voces ad cælum, et horribitos regi-
tus, quia loqui non poterat, ingeminare. Ad hujus
dolores plerique permoti pietate subsistebant, vota
B et preces et compassionem tamen pro illo impe-
dentes, ut Deus et beata Virgo subveniret ei. Quo-
rum devotionem et miseri angustiam quando placi-
tum fuit, ad ultimum respiciens gratia divina per-
fecte sanavit ægrotum, ut fugato omni dolore et
vires corporis et plenam loquendi facultatem acci-
peret. Congratulabantur ergo sano qui condolerant
infirmo, et quia tam evidens miraculum et in hoc
celebratum est quod occultum fieri non potuit, et
pro hoc etiam laudes et gratiarum actiones reddi-
tæ sunt Deo et matri Domini.

XXI. De femina cæca et illuminata.

Quædam mulier materfamilias de Blericourt
(*Blérencourt*), quæ villa est prope Cociacum (*Coucy*)
C capta oculis cæcitate percussa est. Et hæc ad suf-
fragia beatæ Virginis adducta est, et per aliquot
dies ibi sedit præstolans pariter et postulans opem
divinam. Inutiliter quoque etiam modo ante præ-
sentiam veritatis sedisset, quandiu cælare verita-
tem voluisset. Factum est autem in una dierum
et ecce sacerdos de Austrechia (*Autreche*) cum cru-
cibus et frequentia parochianorum stipatus, cum
laudibus ingrediebatur domum Virginis matris Do-
mini, et expletis supplicationibus et votis, major
hujus villæ, id est Austrechiæ, recognovit ibi co-
gnatam suam prædictam mulierem amplexantem
altare, et causam ejus præsentis percunctatus, in-
fortunium quod ei contigerat accepit, præsentem
itaque Mathilde abbatissa: « Merito, inquit, mea
D cognata hujusmodi percussa es cæcitate, quia, cum
sis ancilla dominæ nostræ sanctæ Mariæ, ejus do-
minium abrogasti, suamque te esse et de familia
ejus abnegasti. Coulttere ergo veritatem, si aliquam
opem vis obtinere a matre veritatis. » At illa verbo
diligentis se et flagro divinæ percussiois admo-
nita credidit consilio, et super dominio quod ne-
gabat, cognita et professa veritate, statim oculi
ejus et facies perfusa est claritate. Facta igitur fi-
delitate, nullo egens duce, gaudens remeavit ad
propria.

XXII. De muliere quæ ingredi ecclesiam non poterat.

Anno igitur ab Incarnatione Domini 1151, de
Lucæ evangelistæ, non designatus est Deus iterum

glorificare nomen suum etiam inusitato miraculo. Papa Innocentius ab æmulo suo Roma pulsus, ab ecclesiis Cisalpinis et regibus et principibus terræ honorifice susceptus, monasterium Sancti Medardi SueSSIONENSIS quod est trans fluvium situm, recens dedicaverat, ad quam solemnitatem tanti populi frequentia convenerat, quod facile edici non potest tam gratia DEDICATIONIS, quam ut vota et preces beatæ Virginis Dei genitricis Mariæ in ecclesia ejus persolverent. Adfuit inter cæteros quædam mulier de pago Laudunensi, id est de castro quod dicitur RUMINIACUS (*Rumigny*), quæ suorum non immemor peccatorum, cum aliis monasterium beatæ virginis ingressa processit; cum ecce virtute invisibili ab ingressu arcetur, et bis terque conata fortius repellitur; admista multitudini dum improbe se ingerit, tantumdem profecit. Tunc vero divino perurgente iudicio, eo quod præsens vexatio intellectum dabat auditui, tandem sero accusante conscientia, reatus sui magnitudine commota toto corpore tremere et membris totis præ nimio pavore vexari cœpit. Tum prostrata in faciem manum divini iudicii super se sentiens, magnis clamoribus circumstantium opem et preces ad Deum pro se instantem obsecravit. Adest sacerdos advocatus qui missæ celebrandæ jam paratus fuerat. Fretus igitur officio et veste sacerdotali qua indutus erat, mulierem miseram jacentem erigit, et data manu turbis impellentibus in ecclesiam inducere tentat. Sed ut ipsa postea retulit, tanto pondere gravabantur pedes ejus, ut massas plumbeas sibi alligatas æstimaret. Nihil itaque profecit, aut proprio conamine aut sacerdotali juvamine, seu violento populari impulsu: ducebatur dextrorsum aut sinistrorsum, et liberum ut cæteri progressum habebat, ingredi vero ecclesiam paranti, violentius vis arcana obstebat. Tunc vero clamor populi attollitur, et dolor et lacrymæ multitudinis sua peccata suumque iudicium in illa muliere congemiscentis. Quid ergo? Quid aliud restabat nisi divinam faciem per confessionem placare, et sic misericordiam ejus securius implorare? Voluit ergo confiteri eidem sacerdoti, et quo iudicio sit actum incertum habemus, ut ipsa aiebat, nullo modo potuit. Dolore et timore perurgente, voluit peccata sua proclamare in publicum, sed prohibita est. Advocato autem alio sacerdote, quam verius et sincerius potuit, nimirum ut opus erat ei quæ per veritatem veritati reconciliabatur, cum gemitu et dolore confessa est. Rogabat sacerdotem ut publice ediceret, ut tanto parceret ei Deus, quanto confessione et ignominia pro timore ejus perfunderetur; sed ille moderatius intuens suppressit, et dixit quæ ibi jussa sunt. Absolutione itaque percepta, renata et renovata, supplices manus perfusa lacrymis ad turbas circumstantes protendere cœpit, ut quæ suis diffidebat, eorum meritis juvaretur; obsecrat abbatissam loci adesse, quæ et adfuit, et data manu ex quo cœpit eam deducere, tunc vero clamor ingens, tunc vero lacrymæ et ge-

mitus confertæ multitudinis, tunc vero rabies ardentis charitatis et rabies insanientis pietatis prosequitur abeuntem, et rumpit aera et penetrat ipsum cælum et violentiam irrogat ipsi Deo, qualem perferre voluit, et extorquet ab eo misericordiam quam non invitus præstabat. Introducta igitur in ecclesiam, quantæ laudes et gratiarum actiones redditæ sint Deo et gloriosæ Dei genitrici Mariæ, utpote quod ineffabile est edici non potest.

XXIII. *De inflato utero mulieris sanato festis Paschalibus.*

Apud castram quod Nigella (*Nesle*) dicitur in Viromandensi pago situm, mulier quædam uteri et membrorum tensa nimia inflatione anxie laborabat. Huic dum vir ejus accelerat opem ferre per medicos, hoc ut longum præstolari illa posse negavit, et urgente violentia morbi equum sibi quam festine præparari deposcit, plena fide jam præsumens de salute Dei matris, si mereretur limina contingere. Profecta itaque est ad urbem Suessionicam una cum viro suo; deducta igitur usque ad altare Beatæ Virginis manus graves præ timore superponens, annulum e digito quem nulla vis extorquere poterat elici fide fruens efflagitabat dicens: « Dulcis Domina, educate hunc annulum a digito meo et vester erit. »

Quod mox ita factum est. A quinta ergo feria quæ est ante Pascha, sustinuit tumorem uteri, quo penè runpebatur, usque dum transito ejusdem festi die et nocte subsecuta dormiens perfecte sanata est. Excussa ergo et nullam omnino gravedinem sentiens prorumpit se festina ad altare. At vir ejus excitus a somno et turbatus: « Quo, inquit, misera prorupit jam moritura? » — « Non, inquit illa, quia jam per gratiam Dei et pietatem beatæ Virginis omnino liberata sum, et nihil doloris et præteritæ infirmitatis patior. » Cujus ergo prius ægritudo erat notissima, in brevi sanitas facta est celebris, et percerebuit apud omnes quid Inpræsentiarum operatus est Dominus. Super hoc datæ sunt laudes Deo et beatæ Virgini Matri Christi ejus, et ampliata est lætitia festis paschalibus.

XXIV. *De infirmo per panem sanato qui soccum tetigerat.*

Dicite, inquit, justo quia bene, quia fructum ad inventionum suarum comedet. Justus autem ex fide est et justus ex fide vivit (*Rom. 1*); et fructus fidei justitia est. Non est fructus justitiæ nisi ex radice fidei, argumentosa fides est itaque ad inveniendum ut fructificare possit. Non ergo sufficiebat populis fidelibus ad remedia exposcenda adire locum beatæ Virgini dicatum, in quo beneficia præstare solebat, sed et qui de remotis partibus se facilem recursum illuc habere desperabant, aliquid memoriale de eadem ecclesia ligni, vel terræ, vel panis qui soccum beatæ Virginis contigerat, etiam post accepta remedia secum revelere consueverant: quo tutiores facti præsidio, adversam non timerent valetudinem. Est igitur locus castrum Batpalmas (*Bapeaumes*), locus autem ille Latgniacurtis (*Lagnicourt*) dicitur,

ubi quidam juvenis jam provectæ ætatis caduco morbo usque adeo vexabatur, ut pene per singulos dies decem vicibus misera membra terræ collisacum horrore spectantium affligerentur. Quid ad hæc infelix mater, quæ domesticam mortem quotidie cogebatur intueri? Quid animi gestabat, quæ filii ora spumantia, et artus lethali frigore rigidos in sinu refovere et velut genuino calore recreans denuo parturire compellebatur? Una ergo dierum subit in mentem quemdam ex ejus vicinis suis paucos ante dies reversum ex memoria beatæ Virginis genitricis Dei Mariæ, et de pane qui soccum ejus tetigerat secum delulisse, quem et infirmis petentibus sæpe erogabat et convalescebant. Accelerans igitur ad domum illius hominis ardens fide qualem uterini dolores interanei exacuiebant, materno affectu instabat petens ut aliquid de pane illo a Deo sanctificato mereretur accipere ad opus filii, ad remedium doloris sui, quæ mater erat ad revocandam vitam morientis illius qui tam anxie laborabat. At ille dum importunitatem deprecantis nititur a se abjicere; opponens vix aliquid modicum sibi reservare, majorem vero portionem ejus salutiferi panis insimiliter ægrotantibus expendisse; tandem victus dolore et instantia insanientis, et de illo modico modicum quid accipiens largitus est miseræ matri. Illa vero tanto munere beatam se æstimans, et vitam filii in exiguo fragmento accepisse se reputans, alacritate fidei et spei jam melior facta pervolat ad filium portans secum partem vitæ et salutis: quod acceptum juvenis ille ex quo deglutivit subito, perfecte a tanta ægritudine convalevit, et sicut Dei est dare non ad mensuram, ut nec vestigium pristinæ passionis aut aliquam notam deinceps sensisse visus sit. Hi sunt fructus fidei argumentosæ. Qui enim excolit ficum suam, comedit fructum ejus. Et per hos transitorios fructus, invitamur ad illos qui ministrant vitam æternam, si tamen secundum illos fidem habuerimus, unicuique enim datur secundum mensuram fidei. Unde et alia est fides quæ meretur hæc temporalia, et valde alia est quæ meretur æterna.

XXV. *De duobus scutiferis de captione liberatis.*

Duo pueri scutiferi de pago Laudunensi capti et abducti ultra silvam quæ Tereschia (*Thierarche*) dicitur, ad castrum quod Avesnia vocatur, et uterque in cippo conjecti fuerant. Dum itaque ibi asservantur, alter eorum, ille qui major natu fuerat, recordatus est quod ad constructionem ecclesiæ Beatæ Virginis Mariæ Sussionensis, inter alia quibus opus erat, quidam clavos ferreos deferebant et offerebant. Vovit ergo centum clavos se illic delaturum, si beata et gloriosa Dei Genitrix opem illi ferret, et de captione eum liberaret; statim igitur videntibus oculis ejus discludi mordacia ligna pedem suum liberum extraxit. Adhuc autem aliquid dici supererat, sedensque ibidem noctem quæ aptior fugæ erat, præstolari cœpit. Tunc ait socio suo: « Ego quidem per gratiam Dei et opem

A sanctæ Dei Genitricis Mariæ liber sum et possem abire, si non id quod superest diei præpediret. Vovi enim beatæ Virgini centum clavos ferreos me delaturum ad ecclesiam suam ædificandam, et ecce me liberum vides, si tu idem faceres; ex quo fidem in ea haberes, ipsa te liberaret. — « Carr, inquit ille minor natu, non solum centum sed et millenarium clavorum illud deferrem, si pietatem haberet de me ut liberarer. » Eadem nocte qui prius jam solutus erat, transivit claustras et custodias, et nullo obsistente ad salvationem suam evasit. H ergo qui relictus fuerat, ubi experimento didicit quantum et quale esset bonum fidei, socio destitutus et evidenti beneficio ad meliora provocatus, tum vero ex corde anxio cœpit appellare Dominam nostram sanctam Mariam, ut etiam sibi peccatori ferret auxilium. Paulo post ille qui tenebat eum in captione pavore permotus, verens ne ibidem ei eriperetur, proposuit eum ad tutiorem custodiam transferre; quod dum facit, captivus ille per gratiam Dei sanus et incolumis evasit. Erat autem nepos Milonis de Asceaco. Ex quo igitur potuit nudis pedibus ad ecclesiam liberatricis suæ evanire, non ingratus tanti beneficii, et omnia quo ordine gesta fuerant lætus et alacer edixit. Multa sunt quorum ordinem explicare non possumus, et quod multa sint et vincant paupertatem ingenii nostri; et tamen ut saltem succincte dicamus, silentè quædam volumus præterire.

XXVI. *De matre quæ filium suum reduxit.*

C Apud Sanctum Richarium in Pontico (*Pontikien*), qui vicus est in pago Ambianensi, cuidam lænatori et nimis amaro exactori filium suum quædam nobilis femina, sed tamen æris egenus tradiderat in vadem pro multis marcis argenti; et dum multiplicantur dies, summa usuræ crescebat, unde accidit ut nisi terram venderent puer ille a parentibus redimi non posset. Tum mater cujus altior doloris præcordiis sensus inhæserat, omni ope humana destituta et desperata, contulit se ad divinum auxilium et ad propitiâ matrem misericordis, quæ spiritu contritos exaudire solita est. Una ergo dierum stimulante et nullo remittente materno dolore coacta est adire ubi filius ejus in custodia et catenis tenebatur, ut saltem recrearet miseris oculos suos super visione filii sui, qui pœnas luebat necessitatis paternæ. Veniens igitur ad Sanctum Richarium, quod oppidum a frequentibus populis inhabitatur, repente invenit filium suum in mediâ platea loris tantum ferreis ad modulum suum ob custodiam alligatum, quem in conspectu populi assumpsit, et tamen nullo prohibente, nullo obsistente levatum in equum suum revexit. Quantum gaudium, quantam lætitiâ egerit, quales gratis retulerit benefactrici suæ gloriosæ Virgini veniens ad domum suam in anxietate spiritus et humilia corpore, non est facile dictu.

XXVII. *De femina cæca illuminata.*

Quædam cæca de Cenomanensi territorio audit

famam virtutum quas faciebat Dominus Suessionæ, ob gratiam beatæ Virginis matris suæ. Vovit ergo se nudis pedibus adituram ejus suffragia, vovit de corde contrito et fideli, et statim lumen recepit.

XXVIII. *De Radulpho cantello.*

Thomas autem dominus castri quod Cociacus vocatur in pago Laudunensi situm, iturus ad regem Anglorum, quemdam ex clientibus suis Radulphum agnomento cantellum eo quod fideliozem sibi illum arbitrabatur secum ducere volebat. Jussit ergo ut se pararet. Omnibus igitur ad hanc professionem expeditis, subito adversa valetudine Radulphus ille pervasus omnibus nervis cœpit contrahi et pene omnibus membris inutilis fieri, acutis doloribus et ossa et medullas ejus velut terebrantibus. Hujus ergo intuitu vexationis vacationem accepit ab officio professionis: erat enim morbus igneæ pesti valde similis, qui pervagabatur membra ejus, sub extenta cute depascens et subvellens carnem ab ossibus, unde et dolores acerrimos ad præsens sustinuit, sed deformitatem exterius apparentem evasit ob remedium citæ subventionis; quam citius namque potuit domum beatæ Dei Genitricis Mariæ expetiit opem flagitans sibi misero. Erat autem pridie vigiliarum Natalis Domini. Sedit ergo in faciem altaris cultu suo vestitus et calceatus, et subeuntibus acerrimis doloribus anxius, et toto corpore sudore distillans, jam ad sui cognitionem deductus, vice oblationis justitiam et sua peccata confiteri cogebatur, dicens: « Et merito hæc pateris, miser homo, et fructum impietatis tuæ comedis; seminasti enim dolores, et metis eos, et ut dignum est, recipis. Quid namque sceleris unquam omisisti, aut quid mali non perpetrasti? Quibus adulteris non es pollutus? Aut cui femine unquam detulisti honorem? De quot homicidiis manus tuæ sanguine plenæ sunt, actione vel consilio? Quot incendia vel ecclesiarum violationes procurasti? Quot furta et latrocinia concitasti, quot bella et lites tuo consilio, tua lingua suscitasti? Quot gulositates, quot ebrietates ingurgitasti? Quas fraudes non exercuisti? Nunc igitur merito retorquentur in caput tuum, miser homo, nunc meritas luis pœnas. Justus es, Domine, justumque judicium exeris in me; semper enim totius mali signifer existi, et te relicto Creatore et Redemptore meo, inimici voluntatem semper exercui. Et tu, beata virgo pia domina mater Domini etiam mei, licet maximus peccator ego sum, nunc justas exigis pœnas de corpore meo, corpore immundo, corpore fetenti, corpore digno sulphure et incendio infernali, nunc justas exigis pœnas de anima dolosa, anima perfida, anima quæ portavit imaginem diaboli effreni superbia, et equi et muli similitudinem cœnosa et immunda luxuria. Eia, Domine, et eia domina, duplicate et triplicate supplicia et tormenta super me, quia nullius hominis corpus justius meruit pœnas inferni jam sustinere. Neque enim terra sustinere aut portare tantum peccatorem debuerat, et merito jam diu est si talem pec-

catorem absorbuisset. Misere lacrymæ quid cessastis? Quare funereum corpus jamjamque mortuum ad sepulturam non persequimini? Impendite obsequium funeris dum licet, quod scelerato et omnibus odioso merito nullus impendet. Eia infelix anima? Ecce, ubi tu conspicias tuum miserabile corpus in tam pavenda morte constitutum, corpus quod tuis cupiditatibus semper obedivit, tuis impietatibus semper obsecutum est. Et ipsum quidem allatum calore infernali ad præsens uritur; tu vero post paululum horrenda incendia et flammiferos globos sustinebis. Heu me miserum! et duratura quæ patior, et mors æterna est quam exspecto! Væ, væ, væ, misero et peccatori justissime damnato! Dum hæc et similia coram omnibus voce publica proferret totis membris sudore manans, intuentes et audientes eum ad dolorem et lacrymas compellebat, cum ecce de subito pia Domina et pius Dominus qui non vult mortem peccatoris, sed magis ut convertatur et vivat, cessantibus doloribus suavitatem induxit, et cœpit meliorari et voces alias edere, voces gaudii et exultationis; et gratiarum actio, et vox laudis ab ore ejus audiebatur. Erat autem vespertina diei hora, et exsiliens super pedes suos sanus et incolumis currens amplexatus est altare. Non immemor ergo tanti beneficii non-multo post itinere parato Hierusalem profectus est.

XXIX. *De duabus mulieribus ardentibus et restinctis.*

Duæ mulieres de monasterio Nider, quarum altera maxillam igne peresam cum horrore spectaculum sui exhibebat; altera vero manum et brachium igne tabifico consumptum, putridas carnes et luridas et ad omnium nauseam ferentes præ se gestabat, venerunt Suessionem, et vota solventes domo beatæ Virginis perfecte sanatæ sunt. Tantum in cutis superficie roseo colore remanente, quasi tituli pristinæ laudis in memoriam virtutum suarum. Quas nolèbat aboleri, nec a memoria excidere virgo imperiosa, et omni laude dignissima velut stigmata vitæ et mortis resederunt.

XXX. *De igne novo.*

Annus Domini qui ab Incarnationis cœpit computari 1131 inchoabat, Ludovici anno vicesimo tertio, et filii ejus Philippi secundo, die Sancti Vincentii martyris, dum missa celebraretur, sedente sacerdote post orationem introitus missæ, unus ex duobus cereis qui ex more semper inerant altari omni die usque ad extremum, totus arserat, altero adhuc tenorem suum habente. At soror illa deserviens altario, timida et festinabunda vicarium cereum dum subrogare sedula satagit, raptio ut occurreret uno de latentibus in scrinio dum petito lumine lucenti cereo non lucem ingerit, incaute improba etiam lucentem super altare dejectum exstinxit. Tunc vero turbata et mortuam se reputans ex coquina ignem petere cogebatur. At vero diaconus in officio missæ ignem defecisse expavescens, saltu rapit cereum qui jacebat cassus lumine. Quem cum

tradebat subdiacono ut cito peteret ignem, subito inter manum tradentis et parantis accipere, cereus igne novo inflammatur. Hoc viso diaconus in manibus suis miraculo, stupore percussus propriis viribus destitutus, coactus est arcæ inniti quæ propinqua tunc aderat. Et hoc tam celebre et notum factum est utpote in loco qui nulla diei hora frequentiam hominum dehabeat. Dant ergo laudes Deo altissimo et resonantibus tympanis ære canoro longe lateque modulata suavitas ad æthera tendit, et tota civitas personat laudibus Christi. Hoc igitur igne novo etiam omnes ecclesiæ lampades illustrantur, et multi fidelium in domos suas devehere festinabant.

XXXI. *De quodam ab ægritudine pedis mirabiliter liberato.*

Sed anno Dominicæ Incarnationis 1102 dum inter cæteros in ecclesia Beatæ Virginis excubaret quidam nomine Robertus de villa quæ dicitur Johi (*Jouÿ*), quæ villa est ejusdem ecclesiæ, sanitatem pedis sui hoc ordine consecutus est. Erat autem morbus irremediabilis toto pede in tumorem verso, et pluribus pustulis sauciato, ita ut assidua sanie defluens tanto fetore vicinum aerem corrumpere, ut intolerabilis omnibus fieret. Unde custodes compulsi sunt ei denuntiare ut exiret, quia jam ulterius eum pati non poterant. Manserat enim ibi jam plurimo tempore, et omnino desperatus a medicis toto pede solvebatur in putredinem. Exivit ergo de ecclesia invitatus ad suos reversurus, de quibus spem habebat ob consanguinitatem debere sibi præstari obsequium et compassionem, discedens tamen beatam Mariam contestatus est hoc modo : « O gloriosa Domina, etsi per multos dierum in isto loco præstolatus sum opem tuam quam nondum accepi, tamen putrescentibus membris et fatiscentibus fides animæ nec fatiscit, nec deficit; invitatus ergo discedo, sed compellor exire. Tu vero pia et clemens et imperiosa Domina ubicunque sis a Filio tuo salutem mihi potes impetrare. Tuus enim tuus sum cæsus capite a [*forte servus a*] progenitoribus meis : ualde non solum peto gratiam, sed etiam exigo debitam quod soles his impendere qui tui sunt. Ardens flamma mea; Domine Jesu, respice in servum matris tuæ, ecce recedo et inior, quoniam a te devellor, summe Deus, recordare servi tui et servi matris tuæ. Iteratis doloribus affligitur cor meum quia a te recedo. Hujus intuitu lævigatus dolor mihi corporeus et in oblivionem transit pene. His dictis, abiit. Reversus igitur domum in primis sicut solitum est patienter a suis portatur, sed processu temporis jam in tædium et nauseam cœpit verti. Nam tantus erat fetor, ut noctibus dum pedem suum ob calorem proferret ad aerem, nec conjux ejus nec pueri ferre poterant. Ipse tamen a precibus non cessabat, sed irrequietis vocibus opem beatæ virginis inelamabat. Ubi ergo satis visum est, et delectata est pia Domina non dolore patientis, sed perseveranti fide

credentis et amantis, in una noctium dormienti apparuit cum tanto splendore, qualem mortales oculi ferre non poterant. Reverberabat igitur lux sideris aciem contra intuentis et claritatem ulterius ejus ferre non poterat. Dum igitur visum est, ei quod una manu cervicem juvaret, statuens eum in lectulo sedere, et altera manu tenens pedem suum extenderet : experrectus homo novitate visionis, deinde tentata progressionem perfecte sanatum se experire, quantum didicit. Quantam igitur lætitiā habuerit, quantumve gaudium familiolæ suæ fecerit, quantas gratias Deo et gloriosæ Virgini egerit, non est facile dictu. Neque enim capiens apud se, parat regressionem ad ecclesiam Dominæ suæ et sanatrici suæ, et præ nimia exultatione, nihil satis festinatum erat, omniaque mora sibi longa videtur. Ingressus igitur ecclesiam adiit altare, quod congressus vociferans, quantum lacrymarum cum gaudio et gratiarum actione ibi expenderit, quia perseverante et non lacescente fide cordis etiam corporis sanitatem consecutus sit, melius ipse novit Deus, qui verba devotionum format, et ea tenet apud se vivo intellectu. Avulsus igitur ab altari similis barchanæ cœpit discurre intra Sancta sanctorum et pede suo pulsans tellurem, percunctantibus causam tantæ lætitiæ, nihil aliud respondebat, dicens : « Hic est pes dominæ meæ Sanctæ Mariæ, hic est pes dominæ meæ Sanctæ Mariæ. » Et pede terram iterum et iterum pulsans, ordinem et causam tantæ exultationis insistentibus exposuit : « Nonne, inquit, ego sum de Johi homo dominæ meæ Sanctæ Mariæ, quem vos ob intolerabilem pedis mei fetorem de ecclesia expulsistis? Nonne isto et isto ordine sanavit me pia virgo domina mea Mater Domini mei Jesu Christi? » Hæc igitur prosecutus facile fecit fidem dictis, et nota persona, quia erat in cliente ecclesiæ, et exhibitio operis, quia cujus pedem putridum fetensque cadaver aspexerant, nunc sanissimum et fortem ostendebant. Nota persona et evidens miraculum. Mox igitur tympana dant vocem suam, et laus Domini et gloriosæ Virginis de virtute et misericordia in communi celebratur. Veniant tempora afflictionis et miseræ in quibusdam, a piis mentibus reducentur ad memoriam dies isti, quas agimus in pace, et plenitudine rerum temporalium, et quia ecclesia ab omnibus gentibus veneratur et colitur, et religio multiplicior est quam in præteritis temporibus. Hæc igitur fideles recolentes dum suas persecutiones his prosperis conferent, magis dolebunt. Unde præcipue diebus istis in ecclesiis Sanctæ Dei Genitricis miracula tanta et tam multa celebrari credimus, contestante Deo signis et prodigiis et variis virtutibus incarnationem Filii sui et, quia tempus infestum Antichristi imminere speramus, tanto constantius fideles pro hac veritate moriantur, quanto certiore omnium gentium testimonio et laude celebratur.